



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Nottonis calumnia in authorem diuinitus relapsa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Sap 3. 6.

mari; finit morti adiudicari vita dignos. Sic eos expolit, sic tamquam aurum in fornace probat; sic ad maiorem gloriam atque honorem promouet. Quis enim dubitet, Hiltegardem receptam, quam primò acceptam Imperatori fuisse longè chariorem honorationemque? Et debebat utique Carolus hanc illi compensatiorem. Vno verbo, Hiltegardis nulla alia re Sancta nomen magis potuit mereri, quam patienti fortiq̄ue exaltatione tantæ calamitatis. 7. Quod maximè spectat historia, discant hinc falsi delatores, quale eos maneat præmium suæ accusationis. Ad tempus nocere possunt, cum tempore profunt, & exaltant, quos deprimere voluerunt: ac per quod ipsi voluerunt emergere, per illud ipsum tandem in paria, immò maiora mala deiciuntur. Verè enim dictum est: *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.*

Psal. 71. 4.

## XII.

Ven. Beda  
tom. 3. in vi-  
ta S. Arnolphi

Cuius rei manifestum paradigma etiam Venerabilis Beda de S. Arnolfo Episcopo his verbis narrat. *Quidam homo scelestus nomine Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis episcopo sancto iniuriam, asserens scilicet, eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem deditum voluptati: ad cuius lectum nocturnis horis, non solum rex, verum etiam regina, tamquam consilium flagitantes interdum properarent. Cum ergo vir ille die quadam, aluo referto vino una cum detrahente socio suo strata petisset, iubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur undiq̄ flammâ. Quibus illico cum ingenti clamore prosiliens, aquam circa nates ac genitalia loca, ubi canisilla illorum acerrimè cremabantur inicientibus, nec omnino flammam diuinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese pariter involuunt, & ibi diu vociferantes, vix ad ultimum pœnam, quam meritò patiebantur, euaserunt. In quibus profectò impletum est hoc, quod scriptum est in Psalmo: Detrahentem secretò proximo suo hunc persequer: in tantum, ut & illud diuina censura factum esse non ambigamus quòd detractores isti vehementissimè cremabantur in partibus illis, ubi libido, de qua calumniabantur virum iustum, regnare non dubitatur. nec multò post auctor huius detractionis, prefatus videlicet Notto, in huiusmodi criminibus diffamatus apud regem, ut scelera eius una cum vita regalis gladium amputaret; nec non & filium eius eidem sententia subiaceret.*

CAPVT